

que vicem, non minus quam plebeji tenues,
sive didicerint, sive non didicerint. *Al.* Tu fac
dextro Mercurio feliciter mercere triremem,
ego non te remorabor amplius. Orco latum
adferam nuntium. Sed heus, heus, Charon.
Ch. Quid est? *Al.* Fac matures redditum, ne te
mox obruat turba. *Ch.* Imo jam plusquam
ducenta millia offendes in ripa, præter illas
quæ natant in palude. Properabo tamen quan-
tum licebit. Dic illis, me mox adfuturum.

Synodus Grammaticorum.

ALBINUS, BERTULPHUS, CANTHELUS,
DIPHYLUS, EUMENIUS, FABUL-
LUS, GADITANUS.

Al. **E**stne quisquam in hoc numero, qui di-
citur Arithmeticen? *Be.* Cui tandem
zei? *Al.* Qui certum doceat quot conveneri-
mus grammatici. *Be.* Istuc quidem citra * cal-
culos vel digitum nostri nobis dicere poterunt.
Te pono in pollice, me in indice, Canthelum
in medio, Diphylum in anulari, Eumenium
in minimo. Nunc ad lævam transeo; illic in
pollice pono Fabulum, in indice Gaditanum.
Itaque, ni fallor, septem sumus. Sed quorsum
attinet istuc scire? *Al.* Quoniam audio septe-
narium reddere legitimum concilium. *Be.*
Quod concilium mihi narras? *Al.* Est res se-
ria quæ me diu multumque torsit; neque me
tantum, verum multos etiam viros neutiquam
indoctos. Eam proponam in medium, ut hu-
jus synodi auctoritate semel finiatur quæstio.
Ca. Eximum quiddam sit oportet, quod

Calculos] *N*am veteres olim calculus supputa-
bant, ut num in quibusdam regionibus nummis aeneis.